Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2979

Quelle:
Copyright:



*tentiſſime* &c. Nulla horum Canticorum mentio in Celſ. *Gerberti* Opere *de Cantu et Muſ. ſacra*, nec in *Notkeri Libro Sequentiar.* apud *Pezium* T. I. *Theſ. Anecd.* habetur; occurrunt vero quaedam Eorum in Collect. *Sangallenſi Jod. Metzleri* vulgata primum ab *Henr. Caniſio*, indeque T. XXVII. *Bibl. PP. Lugdun.* p. 508. inſerta, ubi cum ad *Tutelonem* Monachum referantur, credibile eſt, illum ceterorum etiam autorem eſſe, aut ſaltem e D. *Galli* Aſceterio ea originem trahere.

III. *fol.* 9. Epiſtolae II. a *Bern. Pezio T. I. Theſ. Anecd.* p. 1. editae, ſed in unam conflatae et in *Capita* XII. diſtributae e Cod. *Zwetlenſi*, ubi inſcribuntur: *Notatio Notkeri* (Balbuli Sangall.) *de illuſtribus Viris, qui ex intentione Sacras Scripturas exponebant* &c. *ad Salamonem* (poſtea Ep. Conſtant.) *diſcipulum ſuum.* Vide *Diſſert.* Ejus *Iſagog.* p. 57. Sed peccare videtur iſta Inſcriptio, quanquam *Trithemio* fulta; Condiſcipulus enim *Salomonis* potius fuit *Notkerus* ſub *Iſone* magiſtro. Adi *Hiſt. liter. Franc.* T. VI. p. 164. Itaque Epiſtolae hae ad *Iſonem* referendae magis, defunctum a. 871. cum *Notkerus* a. 912. *Salomon* a. 920. exceſſerint. In *Cod.* praeſenti Epiſtola prior ἀδεσποτως incipit: *Cum prudens ſis et prudentis nomen heredites* &c. et finit: *Iterum iterumque ualeto.* Cum vero *Salomon* novis quaeſtionibus Magiſtrum pulſaſſet, alteram dedit ille, cujus initium: *Lerneae paludi uel ydrino capiti ſeu certe rogo flagranti te comparauerim* &c. et finis: *Hyſtorias uero ioſeph iudaici. et egeſippi noſtri legendas tibi ſuadeo. et libellulo finem impono.* To *tibi ſuadeo* Pezio defuit. Sed et alia *Codex* noſter in conſilium vocatus ſubpeditat. Ita ſub ingreſſum pro *diffamare velis viliſſime* rectius legit *diffamare ſtultiſſime uelis.* C. 1. ad *Bedam* addit *noſtrum*, ut Scriptorem Benedictinum intelligas. Item *profundiſſimi et penetrabiliſſimi Auguſtini* loco malim cum Noſtro *penetraliſſimi.* Item *reicere debebis* pro *reticere*, et quae ſunt plura hujusmodi. Ceterum Epiſtolae hae *Iſonis* Βιβλιογνωσιν et judicium non parum commendant, et ſacrorum Sec. IX. Studiorum rationem egregie illuſtrant. Citati *Iuſtus* Ep. *Lugdun* in *Cantica*, et *Ladkenus Hibernienſis* Excerptor *Gregorii* M. in *Job* adhuc quaeruntur. Singulare illud, Autorem c. 5. nobis *fol.* 13. pro voce *Eccleſia* uſum vocabulo theotiſco: *ut praeco Dei populis futuras ſtationes praenuntiare poſſis in* Keriki.

IV. *fol.* 17. p. 2. Libellus *Formularum* veterum XLVIIII. maximam partem ejusdem generis cum *Marculfianis* et aliis editis ab *Hier. Bignonio*, *Baluzio*que, collectus, ut multa ſuadent, in Coenobio D. *Galli* et fortaſſis ab *Notkero* ſupra memorato *Iſonis* diſcipulo. Ejus Indiculum hic texere juvat:

1. *Conceſſio Regalis.* Collegio cujusdam Eccleſiae *Ludovicus* Rex *Ger-*